entæ illius Tragoediæ Actus peractus legitur. Sic igitur omninò in conc
facti stat atrocitas. Ecce enim, quod annis superioribus Angli in Reg
securi percutiendo patrarunt facinus, tam atrox, tam immane, tamq dirum
est, ut omnem propemodum verborum curam transgrediatur: Furorem, in
saniam, scelus vocare longè minus est. Unde et inter tot difficultates,
quæ ad exprimendam, prout par est, tam incredibilis flagitii immanita
tatem occurrunt, non nisi unum hoc facile suppetit, quod iteran iterum
repeti debet, idemq verissimum, nempe Solem ipsum, dum annuum conficit
cursum, iniquius et atrocius nunquam aspexisse factum. Sed quæritis
forsitan heic, curiosi Domini Auditores, quâ autoritate id perpetrarint
quicquid Regii patrarunt Percussores? In promptu est responsio: illos
videlicet pro autoritate solam audaciam, ad omne flagitium prona
ostentasse. Rex siquidem optimus et meliore Fato dignus, cum ad
sanguinarium illum consessum accusandus pertraheretur, et co-
ram barbaris illis, ac molossica feritate præditis judicibus sta-
ret, causamq capitis dicere cogeretur, unum hoc ab illis pete-
bat: ut sibi dicerent, quâ autoritate ad ipsos esset tanquam reus ad-
ductus, qui tamen Rex esset legitimus: viderent, quid agerent,
cauturi, ne in capita sua sanguinem viri innocentis, et quidem Regis,
arcesserent, nec in gentem universam justum Dei judicium provo-
carent. Quid autem ad hæc percussores? Audacter respon-
debant: Dei hanc esse autoritatem et Regni. Cumq Rex urge-
ret, quos Regni nomine intelligerent; populum regebant. Hujus,
hujus semper sufficere autoritatem, teneri quoq Regem hanc ad-
mittere et approbare ajebant. O iniquissimum, ô crudelissimum
responsum! Procul dubio vos, ô Parricidæ, infernalium furia-
rum flagella, vos Stygiorum Manium agitabant faces,
cum talia et alia virulentissimo ore evomeretis. Quin et ego
arbitror, illum ipsum, qui in universi humani generis perniciem
perpetuò intentus, Genium malum furiosam hanc vobis immi-
sisse vesaniam, quæ simul et omnem consilii rationem tolleret
et conscientiæ sensum adimeret, et curam Religionis excuteret,
imò vel ipsum Dei vindicis metum extingueret, prorsusq deleret.
Unde non jam locum amplius habere videtur vetus illud: NE-
MO BRITO BONUS: sed aliud quiddam reperiendum atq exco-
gitandum, quod his congruat, qui malitiam omnem ac improbita-
tem humanam jam dudum superarunt. Quid ergo igitur? Eloquar-
ne ego heic, an sileam? Siquidem res quomodo dicam, vel quomo-
do taceam, reperire possum. Certè si tacuero, facti atrocita-

ma